



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 37. Robertus de la Marck, seu Marchianus a Galliarum Rege in Cæsarem  
concitatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](#)

Hispani equitatus ordines perrumpe- Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.  
bat, verum cum Castellæ Admiralis op-  
portune auxilium suppeditaret, cæsi  
sunt Galli, desideratis suorum quatuor  
millibus, ipsoque Asparro capto. Con-  
tigit hæc clades die trigesima Junii,  
quam totius Navarræ regni jactura se-  
quebatur, Hispanis illius possessionem  
majori, quam Galli ceperant, celeritate  
recuperantibus. Doluit vehementer  
Galliarum Rex, quod non modo exer-  
citum suum infesta hac expeditione  
fatigaverit, sed etiam Carolo Cæsari,  
quæ adversus eum consilia moliretur,  
manifesta fecerit, interceptis quibus-  
dam literis, quæ Asparro ereptæ fue-  
rant.

### §. XXXVII.

*Robertus de la Marck seu Marchia-  
nus a Galliarum Rege in Cœ-  
farem concitatus.*

Eodem tempore, quo Franciscus I. Gal-  
liarum Rex Navarram infestis armis  
opprimi jussérat, Robertum Marchia-  
num Sedani & Buillonii Dominum ad  
seditionem contra Carolum V. concita-  
vit. Nec dudum deerat quæsita belli  
occasio; Chimacensis enim Princeps  
ex Crojorum Familia ortus cum Aime-  
rio Barone capitali horum inimico de

F 4

urbe

**Sæcul. XVI.** urbe Hierga in Arduenno agro sita ju-  
**A.C. 1521.** dicio contendebat, quam etiam Robertus per Ducatus sui Proceres Chimacensi adjudicabat. Aimerius, postquam caussa cecidit, a Cæsare prosequendæ appellationis diploma petiit, obtinuitque, quo eidem datum, ut Chimacensis Principis liberos in judicium coram Brabantiae Cancellario ad hoc negotium deputato vocare posset. Robertus Marchianus pupillos, quorum Tutor erat, ibi comparere jussos, ac supremum (ut contendebat) Buillonii imperium labefactatum indignatus, quosdam ad Cæsarem ablegabat, qui jus suum defenderent; cum vero Carolus ejusdem postulatis annuere recusaret, Robertus Gallorum partibus sese addixit, ac Remorantini Franciscum Regem adiit, a quo perbenigne exceptus, ejusque præsidio inflatus, Cæsarem missis literis ad pugnam provocavit, ac Fleurangium filium suum natu majorem cum quatuor, aut quinque armatorum millibus præmisit, ut Virtonum Lucemburgensis Proviciæ urbem Carolo V. subditam obsideret.

### §. XXXVIII.

*Cauſa diſſidii inter Carolum V. &  
Franciscum I.*

**E**x hac agendi ratione haud obscure  
per-